



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

Dominica Pentecostes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

CONCIONATORIUS. 115

sed prudenter: verum etiam contemnenda, sed generose, ne respectus humanus nos a via iustitiae retrahat. *Mense III. Disc. 77. pag. 343. ad num. 7.*

4.

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Joan. 15.

Quam audaces sunt homines ad iudicandos alios, tam timidi sunt ad sustinenda aliorum de se iudicia. Levis sæpe aliorum risus, vel irrisionis suspicio, metus incommodi, aut perdendæ amicitiae scandalizat & a bono repellit animos infirmos. *Mihi autem pro minimo est, ait S. Paulus, ut a vobis iudicer &c. mihi enim mihi conscius sum,* Generose igitur, omni respectu seposito, negliges iudicia hominum, quando te recte agere sine ullius iusta offensione cognosces. *Mense III. Disc. 77. pag. 353. à num. 7. ad fin.*

DOMINICA PENTECOSTES.

I.

Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Joan. 14.

Multitudo gratiarum, quas Spiritus Sanctus effudit in discipulos, & adhuc effundit in fideles. *Mense XII. Disc. 360. pag. 432. usque ad num. 11.*

h 2

2.

2.
Qui non diligit me, sermones meos non servat. Joan. 14.

Nihil ad æternam salutem profunt virtutes humanis vel viribus acquisitæ, vel à natura & indole acceptæ, nisi amore Dei alióve supernaturali motivo exercentur. Miramur in Alexandro fortitudinem, in Lucretia castitatem, in Platone Sapientiam, in aliis virtutes alias: & tamen ad salutem æternam proderant nihil. Diligere Deum oportet, ut veri mandatorum Christi executores simus. Invocemus igitur Spiritum Sanctum, ut capiamus, quid sit virtus Christiana. *Mense VII. Disc. 183. pag. 1.*

3.
Qui non diligit me, sermones meos non servat. Joan. 14.

Nemo est, qui non profiteatur se diligere Deum, tametsi peccator sit, Deumque multoties offendat. Alii arbitrantur se exercere virtutes quasdam amore Dei, sed ambigunt, quamnam virtutem maximè ab illis Deus cupiat exerceri. Responderi melius non potest, quàm illam, quæ te proximè & expeditissimè ducit ad Deum, quæque necessaria planè est ad æternam salutem tuam consequendam. *Mense VII. Disc. 186. pag. 56. ad num. 5.*

4.
Non quomodo mundus dat, ego do vobis,
Joan. 14.

Aliam pacem Deus dat, aliam mundus. Pax Dei passiones nostras & pravas affectiones reprimat, ne prædominentur rationi, & animæ vim inferant: mundus verò pacem & quietem esse arbitratur, si, quidquid sensus nostri ac passiones appetunt, eis indulgeatur, unde anima in servitutem redigitur & miserrimè perturbatur. Contrà hortatur Christus: *Non turbetur cor vestrum.* Caveamus ergo, ne ullam in nobis passionem prædominari patiamur, & prædominantem omni studio opprimere laboremus. Talis enim affectio in periculum æternæ damnationis nos conjicit. *Mense III. Disc. 81. pag. 428. ad num. 7.*

5.
Pacem meam do vobis. Joan. 14.

Spiritu Sancto illabente justorum pectora ad ardentiorum Dei amorem accenduntur, injustorum verò animi ad pœnitentiæ agendæ desiderium commoventur. Et quis non moveatur? licet enim delictorum confessio videatur difficilis, divina tamen consolatione abunde compensatur (*pacem meam do vobis*) & conscientia suavissima tranquillitate. *Mense III. Disc. 87. pag. 550. ad num. 6.*